



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. XXVII. Perfectum Dei amorem exigere, ut non modò vanam omnem nostri æstimationem penitùs à mente ablegemus; sed etiam studeamus quàm abjectissimè de nobis sentire, omniúmque nos mortalium ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

*tile credit.* Quapropter ceu superbus, cum nihil flagrantius præclara æstimatione sui appetat, facillimè pro vero accipit, assidueque præfens menti habet, quidquid illa dignum se probat; sic verè, atque ex animo humilis, cum eandem acerrimè oderit, & exclusam à se penitùs velit, nullo labore indiget, ut veritatem prædictam, quæ huic voto suo favet, firmissimè sibi persuadeat, & sub expressa, & vivida specie continenter præ oculis gerat.

## CAPUT XXVII.

Perfectum DEI amorem exigere, ut non modò vanam omnem nostri existimationem penitùs à mente ablegemus; sed etiam studeamus quàm abjectissimè de nobis sentire, omniumque nos mortalium contemptissimos ducere.

**D**Arum tamen est perfectæ humilitatis studio, magnificam sui existimationem odisse, omnibusque modis proscriptum ex animo ire, avertendo nempe oculos à præclaris suis dotibus, earundem pretium idoneis

X x 2

con-



considerationibus apud se extenuando, illas  
 que locò rei alienæ veriùs, quàm propriæ du-  
 cendo; quò hunc finem faciliùs, pleniusque  
 assequatur, debet præterea in partem exilii-  
 mationi propriæ oppositam ferri, contendere  
 vice ipsius, quantum potest, sui despicientiã in  
 se ipso excitare, suamque vilitatem sæpe sibi  
 ante oculos ponere, & oleri consideratione  
 perpendere, quod tertium est humilitatis ex-  
 ercitiũ, duobus jam tractatis ad legendũ.  
 Exeritiũ, non diffiteor, innato homini-  
 bus erga propriam excellentiam amoris gusta-  
 tu acidum, quòdque etiam spiritualium virtu-  
 rum non pauci faciliè omittunt, avertentes  
 in quotidiana meditatione oculos ab eorum  
 intuitu, unde viles sibi ipsis, spernendique  
 apparerent, qualia sunt vitia, & peccata gau-  
 dentique illos potiùs defigere in objecta vi-  
 su jucundiora, puta in virtutum decorem, in  
 sempiternam Cælituum felicitatem, inque  
 immentam DEI magnitudinem. At non ita  
 illi etiam, qui, ut DEUM ament perfectius,  
 student se ipsos, quantum maximè possunt,  
 deprimere. Hi siquidem, tum ratione pro-  
 pensionis à DEO semper ostensa, eos impetu-  
 sius amandi, & fovendi, qui contemptiores  
 sibi ipsis sunt, tum propter alias maximi mo-  
 men-



menti utilitates, quæ homini ex propriæ vitæ contemplatione proveniunt, tum hæc ipsa de causa, quòd ejusmodi contemplatio perquam invisâ amori proprio sit, neque animam sibi placere, & se ipsa delectari inaniter finat, cogens ità illam quodammodo, non aliunde, quàm ex DEO voluptatem capere; hisce omnibus, inquam, de causis suarum miseriarum considerationem charissimam habent, libentérque in ea derinent mentem, & subinde à divinis perfectionibus secum reputandis ad eam revertuntur: quales olim Jacob Angelos per mysticam scalam jam DEUM versùs supremo illius vertici innixam ascendentes, jam ab eo terram versùs descendentes aspexit. (*Gen. 28.*)

2. Unde etiam planū fit, quàm verè D. Teresa scripsit: (*It. Perf. c. 39.*) ab humilitate, quantumcunque ingens ea sit, minimè inquietari, perturbarique animam, sed dilatari potius, & robore augeri: adeo ut, licet quis inimè agnoscat, se perpetua meruisse inferorum supplicia, dignumque omnium contemptu, & abominatione esse, si tamen verè humilis sit, plurimum suavitatis, & quietis in illa sui displicentia reperiat. Plana, inquam, & perspici facilis sententiæ hujus veritas; esto

X x 3

quip-



quippe vanis propriæ excellentiæ amatoribus  
 nequeat non ingratum accidere, triftitiã-  
 que, & perturbationem afferre, fi miferos,  
 imperfectos, & contemptu dignos fe afpici-  
 ant, iis tamen, qui omnem fui æftimationem  
 odere, nihilque optant, & ftudent magis,  
 quàm eam penitùs in fe ipsis excindere; fieri  
 non poteft, quin ejuftmodi afpectus, utpote  
 ad defiderii fui afsecutionem conducens, ju-  
 cundus apprimè, & delectabilis fit. Idque  
 ipfum cælefti confirmatur doctrina, qua D.  
 Ignatius Loyola Seraphicam Virginem Ma-  
 riam Magdalenam de Pazzis inftituit: rapta  
 extra fenfus intuendum fe præbens, interque  
 alia de humilitate documenta definiens, nihil  
 eam aliud efle, nifi *continuum fui nihili ag-  
 tionem continuũmque itẽm gaudium de iis omni-  
 bus, quæ hominem poffunt ad fui defpicientiam  
 inducere.* ( Bartol. in Vit. S. Ign. L. 4. n. 5.)  
 Quocirca, qui propriæ vilitatis confideratio-  
 nem moleftam, ingratiãque experitur, ne-  
 quit indè aliud colligere, quàm fuam follicitã  
 humilitatis inopiam. Si enim verè hac pro-  
 ditus foret, veluti gauderet in viliffima æfti-  
 matione apud fe efle, fic non poffet non cha-  
 rum habere, quidquid valet, ad hanc de-  
 æftimationem in ipfius mente excitandam.



3. Descendendo jam ad praxim exercitiū adeò cuilibet necessarii, qui perfectam humilitatem desiderat, oportebit hunc sæpe sibi ob oculos ponere suas illas tum naturales, tum morales misérias, quarum causâ vili potest, ac fœdus sibi ipsi apparere: juxta exemplum D. Fran. isci Borgiæ, qui & ante religiosam professionem, cūmque etiāmnū Gandensis Dux esset, quotidie primas duas commentationis suæ horas in considerationibus transigebat, quæ ad despicientiam sui facerent. Quòd si cuperet aliquantò enucleatius designari sibi materiam, circa quam innoteretur, en illan præcipua dispersitam in capitula. Consideret primò summam aspernitatem, quæ ei debetur ratione sui generis: quatenus nempe est ens creatum, ex nihili tenebris, in quibus per totam retro æternitatem jacuerat, gratuita prorsus DEI miseratione in lucem existentia productum: neque per se ipsum potens, sive ad temporis punctum subsistere, sive quidpiam boni habere: sed veluti alienæ benignitati debitor omnium, quæ habet; sic eādem assiduè indigens, tum ad conservationem eorum, quæ accepit, tum ad acquisitionem eorum, quæ in dies, & horas sibi necessaria sunt. Unde magis expressam,



fam, & sensibilem sui huiusce status speciem  
 in animo formet; fingat sibi hominem, qui  
 nihil penitus per se ipsum vel habeat, vel sibi  
 comparare possit, quibus ad victum, vesti-  
 tum, & reliquos vitæ usus eget: imò nec va-  
 leat quidquam agere, non pedem humo tol-  
 lere, non manum, aut caput movere, non  
 oculos aperire, non halitum ducere, non  
 vocem proferre, non ratiocinari, non intel-  
 ligere, non alio demum ullo ex maxime ne-  
 cessariis, & promiscuis vitæ actibus fungi,  
 nisi pius quispiam amicus, tantæ illius imbe-  
 cillitatis misertus, animæ instar continenter  
 illi adsit, & ad singula id genus officia auxili-  
 arem operam commodet. Imaginetur, ut  
 quam, vivi hanc cadaveris speciem, duo po-  
 stea tecum expendens, alterum: num ti-  
 lis homuncio gloriari unquam posset, fastu-  
 sæque cogitationis vel umbram concipere; in-  
 potius jacens animi, & mœrore obrutus, et  
 tam tristi conditione sua quereretur, sequeretur  
 velut quoddam extremæ abjectionis, & infa-  
 licitatis ostentum non sinè horrore specta-  
 ret? alterum: num ipse pro sua entis creati-  
 conditione possit minùs illo abjectus, & mi-  
 ser cenferi? Secundò huic vilitati, quam  
 communem cæteroqui cum Angelis habet,



alteram superaddat, quæ præterea sibi con-  
venit, tanquam homini, & homini antiquæ  
innocentiæ privilegiis exuto, proponens sibi  
ob oculos hinc tot necessitates, morbos, ca-  
sus, labores, ærumnas, quibus obnoxium na-  
turâ corpus est, nec non fœdissimam inutili-  
um tot humorum colluviem, quibus etiam  
num spirans, ac valens exuberat, multoque  
fœdiorem, & cogitatu ipso horridam tabem,  
in quam paulò post vitâ functum solvetur;  
indè mentis tenebras, voluntatis propensio-  
nem ad mala, atque noxia, assiduos perduel-  
lium rationi affectuum tumultus, aliâque hu-  
jusmodi pestes, quas hæreditarium primi pa-  
rentis crimen suo animo invexit. Tertio  
postquam suam tam generis, quàm speciei ra-  
tione abjectionem perspexerit; ad contem-  
plandam eam pergat, quæ singularis, & sui  
unius propria est, observans, quibus ipsemet  
peculiariter scateat tum corporis, tum ani-  
mi vitiis; qualia exempli gratiâ esse possent  
in corpore oris deformitas, membri alicujus  
pravitas, inconditus vocis sonus, gestuum,  
motuumque inconcinnitas, & alia ejusdem  
generis menda, quæ spectatoribus, sociisque  
ridiculum hominem reddunt. At, quæ ad  
animum pertinent, pro majori eorum nume-



ro, & diversitate è re fuerit in naturalia, & moralia partiri: ità ut, quantum ad prima, consideret in se ipso tarditatem, & confusio- nem ingenii, quoties seu scriptio elucubran- da, seu reperienda scholasticæ quæstionis ve- ritas est: exiguum, incertumque iudicii lu- men; unde fit, ut multa inepta faciat, & di- cat, quæ accuratius postea animadvertenti pu- dorem incutiunt: tenuitatem facundie, præ- cuius inopia sæpe in loquendo hæsitat, voci- bú que non satis materiæ accommodatis uti- tur, & mentis suæ sensus confusè, perplexè- que dep. omit: angustior em mentis sphaeram, quàm ut rebus magnæ molis aut pluribus si- mul rite concipiendis, ac dirigendis par sit: qua de causa evenit, ut plura interdum nego- tia, aut unum paulò operosius præ manibus habens, perturbetur, sibi que ipsi: epidan. o- bilet, atque in fædos sæpe errore impingat: tet icitatem in familiari consuetudine, inge- niúmque triste, & illepidum, quo se. u. ma- g. nubus molestiam parit, eoique à congres- su suo fugat: incitiam plurimarum reum, de quibus peritiores alii coram eo disse. unt: unde cogitur aut mutus, & omnino elinguis illorum sermoni interesse; aut si tacendo ignoracionem suam fateri erubescit, eandem ad.



adhuc manifestius prodere imperitè loquendo. Quantum verò ad morum labes, solerti obtutu perlustret tot perversos affectus, iræ, tristitiæ, ambitionis, invidiæ, gulæ, ac libidinis, qui sæva adeò, & impotenti tyrannide animum premunt, tamque turbulentos, irracionales, sordidos, & erubescendos in eo excitant motus. Præterea exiguos, aut nullos in vita spirituali progressus, inconstantiam in rectè decretis, imbecillitatem virtutis, nè levissimis quidem superandis difficultatibus parem, inquietudinem, dejectionemque animi ex minima quavis re adversa, remissum, atque iners bonorum operum studium, divinæ charitatis teporem, mentis aberrationem, & tædia in orando. Demum peccata seu mortifera, quorum plurimis, & fœdissimis in superiori vita se obstrinxit, seu venialia, quæ singulis diebus tam multa, cogitando, loquendo, & operando pergit committere. Omnia hæc, inquam, quæ cursim ego attigi, aliæque eodem spectantia, quæ brevitatis studio præterii, sua sibi dehonestamenta proponat, distinctèque contempletur, & suis rite momenti expendat: persuasissimum habens, longè adhuc plura, & majora illa esse, quàm sibi ob mentis hebetudinem, amorisque proprii glaucoma appareant.

4. His



4. His peractis, superest illi expressè, difertèque colligere, quàm miser, quàm vilis, quàmque nullo honore, sed omni dignus contemptu sit. Adeò ut pro certo constituat, non aliam sibi, aut majorem, quàm ipsi puro putò nihilo æstimationem deberi. Cum non aliud quidquam, præter merum nihil à se ipso habeat: & veluti hoc solummodo in tota retro æternitate fuit; ità hoc solū esse adhuc pergeret, nisi divina liberalitas gratuita ipsi munere ea bona contulisset, quibus in præsentem ornatur, & fruitur. Quæ idcirco vix ille magis sibi adscribere, & appellare sua potest, quòd ea intrà se habeat, quàm vacuum, seu nihilum, circa extremas mundi oras imaginariis suis spatiis diffusum sibi adscribere, & suum quid existimare possit rerum hanc universitatem, in medio ipsius sinu à divina omnipotentia productum. Imò ulterius progrediens ex prædictis capitibus colligat, æquum esse, ut ipsomet nihilo deterior, magisque aspernandum se existimet. Cum illud, etsi omni careat bonitate, ab omni itè malitia sit purum: ipse verò ad negationem omnis boni non aliunde accepti immationem gravissimorum malorum cumulum addat. Sed in primis hoc se pacto deprimere,



& aspernari debet, tot, tamque abnormium  
scelerum causâ, quæ per omnem suam vitam  
commisit, dicens cum Manasse: *Peccavi super  
numerum arena maris, & non sum dignus vide-  
re altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatum  
mearum.* Unumquodque enim illorum, cum  
ratione DEI offensi infinitæ malitiæ pondus  
contineat, satis valeret ad efficiendum, ut  
quisquis illius perpetrati conscius sibi est, in-  
fra ipsummet nihilum sese abjiceret, neque  
auderet præ pudore oculos ab humo unquam  
tollere, aut hominum quemquam, imò ne  
ipsas quidem res sensu vacuas intueri, veluti  
eas quoque omnes adversum se iratas, & in-  
festis vocibus clamantes: en caput infame,  
en proditorem nequissimum, en monstrum  
perfidia, qui non est veritus contumeliis in-  
cessere supremum universitatis totius Condi-  
torem, ac Dominum. Certè, quisquis iustâ  
lance perpendet incomparabilem vel unius  
DEI offensæ malitiam, fieri minimè poterit,  
quin si meminerit, tam multarum reum se  
fuisse, usque sub infimum profundissimæ hu-  
militatis, & abjectionis centrum descendat:  
admirans, reperiri inter homines, qui digne-  
tur se respicere, & alloqui, nedum amare,  
& officiis prosequi: palàmque ferens nullum  
non



non contumeliæ genus se commeruisse, nec licet pessimis quibuscunque accipiatur modis, queri justè posse, tanquam si affectus injuriâ fuerit, sed debere potius in loco beneficii ponere, quòd homines contenti sint tam remissè, clementérque in eum animadvertere, qui toties detrudi ad inferos meruit. Cum, quidquid mitius summo illo, æternòque cruciatu est, minus quoque improbitatis suæ merito sit. Denique immensa hic recluditur, & fundo carens humilitatis abyssus. Quantumcunque in eam descendatur, inferiora semper spatia supersunt. Quique animo ibi, & mente immerfus degit, fieri non potest, ut superbæ cogitationi aditum præbeat, utque se aliter, quàm cum verecundiæ, & abominatæ sensu intueatur, tanquam mundi hujus purgamentum, & humani generis probrum. Neque locus timori est, nè legitimum in depressione sui modum excedat: sed quantumlibet de se abjectè, atque humiliter senserit, nunquam sibi tam vilis, & abominandus videbitur, quàm vel unius divinæ offensæ causa est.

5. Nisi quòd neque hac ipsa absoluta, & solitaria sui seorsum accepti despicientia contentus esse debeat; sed novum, & quartum ad  
eo



eo insuper humilitas exercitium requirit: nimirum, ut in comparatione etiam cum aliis eundem sui contemptum retineat, nemini unquam mortalium anteferre se audens, imò & omnibus inferiorem existimans. Quod humilitatis exercitium & magnus Gentium Doctor Paulus commendavit Philippensibus, volens: (c. 2.) *Ut superiores sibi invicem arbitrentur*; & prius illo maximus mundi Magister Christus universis sectatoribus suis commendârat, sive cùm diceret: (Luc. 22.) *Qui major est inter vos, fiat sicut minor*; sive cùm præcepit, ut (Luc. 14.) *invitati ad nuptias in novissimo loco recumberent*. Super quæ verba egregiè D. Bernardus: *Non mediocrem, non vel penultimum, non ipsam saltèm inter novissimos eligere locum nos voluit: sed, recumbe, inquit, in novissimo loco, ut solus videlicet novissimus sedes, teque nemini non dico præponas, sed nec comparare præsumas.* (S. 37. in Cant.)

6. Neque est, cur formidet, nè in sese prædictum juxta modum, vel nemini anteferendo, vel omnibus posthabendo, imprudenter agat. Minimè, inquam, id formidandum est circa primam exercitationis propositæ partem. Cùm usque adeò à prudentia, & ratione non abhorreat, nemini se præfer-

fer-



ferre ; ut imprudentem potius , & à ratione devium se ostenderet , qui secus factitaret. Esto quippe certissimū foret cuiusvis mortalium ingenio , eruditione , eloquentia , ceterisque omnibus naturæ ornamentis prælatere ; non tamen iustam ideo causam haberem , me ullo potiozem ducendi. Cum vel unicuique crimen , quo sim aliis nocentior ; plus valeat ad me infra illos ponendum , quam supra prædicta omnia decora , ad sublimiorem mihi inter illos existimationem merendam. Quæ re cum minimè mihi constet , plusne , an minus quoquam alio in vita peccaverim ; possum forsitan me aliquibus in eloquentia , vel doctrina anteferre ; at non etiam ullo hominum plaris absolutè æstimandum , majori que in pretio habendum putare. Imò , quamvis nullum ego mortiferum crimen patrâssem , multaque , & gravia ab alio quoquam commissa esse scirem , neque in hoc eventu jure possem me illi anteferre , idque ex triplici capite. Primò , quia major mea , quàm illius in superandis peccati illecebris virtus indè orta est , quòd opportuniora DEUS mihi , quàm illi cælestis suæ gratiæ impertiverit auxilia , illi nempe tantum sufficientia , mihi verò efficaciora : neque qui majoribus instructus subsidiis ho-



hostem profligavit, æquam habet causam se illo fortiorem jactandi, qui minori ope fultus eidem succubuit. Secundò, quia, si nota mihi sunt crimina ab eo olim commissæ, nihil tamen certi habeo de præsentis illius animæ statu: cùm accidere potuerit, ut instar Publicani, & Magdalenzæ jam resipuerit, & DEI amicitiam potiatur: quemadmodum esse item potest, ut ego ab eadem per aliquod ignotum mihi crimen exciderim, ob quod in præsens pejor eo sim. *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.* (Eccles. c. 9.) Tertiò demum, quia etsi certò scirem, me in præsentis divinæ gratiæ compotem, illum verò expertem esse; incertum nihilominus remanet, quid futurum deinceps sit: num scilicet eventurum, ut ille processu temporis ad sanctiorem se vitam recipiat, ac in beata æternitate meritis mihi, & gloriâ antecellat: imò num eventurum, ut ego in divinæ gratiæ statu usque ad obitum perseverem, & cælestem gloriam secundum qualemcunque, etiâ inferiorum gradum obtineam. *Quid scis enim, ô homo!* (scribit D. Bernardus) *si unus ille, quem fortè omnium vilissimum, atque sceleratissimum reputas, melior te, mutatione dexteræ Excelsi, in*



se quidem futurus sit, in DEO autem jam sit  
 (Serm. 37. in Cant.) S. quoque Antonius Pa-  
 tavinus sat noverat, quantò ipse sanctius vi-  
 veret flagitiosissimo quodam homine in Gal-  
 lia: quia tamen revelatum sibi à DEO fue-  
 rat, fore, ut is postmodum è vitiorum suo-  
 rum cœno emergeret, palmâque martyrii po-  
 taretur, quam ipse incassum quæsierat, quo-  
 ties obvium fortè haberet, inclinato capite,  
 & flexo humi genu venerari eum consueve-  
 rat: prout ipsi quoque aperuit, cùm impo-  
 tenter aliquando excanduisset, putans eam  
 sibi à sancto viro reverentiæ significationem,  
 non honoris, sed irrisionis causâ exhiberi.  
 (Ribad. in Vita.) Patet igitur, fas quidem in-  
 terdum homini esse, ut in hac, vel illa natu-  
 rali dote aliis quibusdam se præferat: at non  
 etiam, ut ullo se alio absolutè, & omnibus  
 hinc indè pensatis præstantiorem existimet.

7. Circa alteram partem verò, nempe  
 judicium, quo quis omnium se nequissimum  
 & deterrimum credat, non inficior, posse à  
 aliquo per inconsultam humilitatem delib-  
 qui: imò id judicium ex genere ipso temere-  
 rium videri, hominisque proprium, qui se  
 tentiam clausis oculis ferat, & sinè conveni-  
 enti cura, verum potius affirmandi, quam  
 sal-



falsum. Quare, antequam illius praxim declarem, necessarium existimo, quædam illi fundamenti instar præstruere haud dubiæ veritatis effata. Primum est, omne erroris genus malum quoddam mentis esse, in qua concipitur: sed malum, ut docet D. Thomas, (1. 2. qu. 12. a. 8. ad 4. & 2. 2. qu. 60. a. 4. ad 2.) pro materia inæquale, magni nimirum momenti, cum circa universalia; minimi verò, cum circa singularia, & contingentia versatur. Secundum, ex erroribus, juxta D. Augustini observationem, (Enchir. c. 17. & 19.) alios esse, qui non solum mentem pravitate sua inficiant; verum etiam diverfi aliquid mali erranti afferant, veluti cum vitrum pictum quis emit, magni pretii gemmam se emere existimans: alios verò, qui præter commune mentis vitium vel nulla alia ratione homini noceant, ut si falsum aliquod nuntium de rebus nihil ad nos pertinentibus pro vero accipimus, vel emolumenti quoque aliquid pariant, quemadmodum sibi accidisse idem sanctus Doctor refert, cum à recto itinere aberrans insidias à Donatistis in eo sibi structas evasit. Tertium, quamvis alienum à ratione, & virtute sit, ullum erroris genus studiosè aucupari; id siquidem es-



set fictè agere, & sibi ipsi mentiri) nihilominus, ut notat Cajetanus, (In 2. 2. qn. 60. 4.) posse hominem, si justæ adsint causæ, non modò absque culpa, verùm etiam cum laude virtutis in periculum falsò quidpiam judicandi se immittere: non quidem illum judicii errorem de industria captando, sed parùm pensi habendo, neque omni diligentia, & cautione utendo, ut illum declinet. Quartum, tunc justas id faciendi causas adesse, quando error nihil mali, præter se ipsum homini affert, & bonum ex ipso provenit, quod ipsius malo præponderet: ut exempli gratiâ, cum aliquis bene de omnibus sentit, eorùmque facta interpretatur in melius: aut cum, quæcunque sui Præsides sibi imperaverint, & de se statuerint, pleno mentis consensu, tanquam opportunè, sapienterque decreta approbat. Qui licet in utroque ex prædictis judiciis errandi se periculo objiciat, dubitari tamen haud potest, quin laudabiliter utrobique operetur: in primo videlicet secundùm charitatis, inque altero secundùm obedientiæ præscripta: secundùm quæ operari majus est bonum, quàm malum sit, quæ circa singularia illa objecta contingere mentis falsitas potest. Neque desunt gravissimi



suffragatores, qui doctrinam hanc authoritate sua comprobant, Angelicus scilicet Doctor S. Thomas, & D. Ignatius Loyola. Hic siquidem in per celebri sua Epistola de obedientia virtute, posterius iudicium commendans, cum statuisset, intelligendi facultatem non esse instar voluntatis liberam, sed iis suapte naturam assentiri, quæ veri præferunt speciem, subdit: eam nihilominus *multis in rebus in quibus videlicet cognita veritatis evidentia vim illi non infert, posse voluntatis pondere in hanc potius, quam in illam partem inclinari: eaque res cum incidunt, debere, quisquis obedientiam profiteretur inclinare se in sententiam superioris: quod perinde est, ac debere se pluries in falsæ persuasionis aleam conjicere.* S. verò Thomas, de priore iudicio agens, (2. 2. qu. 60. a. 4. ad 1.) *Potest, inquit, contingere, quod; qui dubia in meliorem partem interpretatur, frequentius fallatur. Sed melius est, quod aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine; quam ut rarius fallatur, habens malam opinionem de aliquo bono. Quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo.* Idque paulò post (ad 2.) adhuc melius declarat, & confirmat, subjiciens: in iudicio de rebus habendam potissimum esse veritatis, in iudicio autem



tem de hominibus humanitatis præcipue, ac benignitatis rationem. Verè siquidem, aut falsè judicare de rebus, non ipsarum, sed a-  
 nius judicantis bonum, malumve est: at si ju-  
 dicium de hominibus fertur, majus horum  
 malum est, si improbi judicentur, cum pro-  
 bi sint; quàm malum judicantis, si fallax  
 judicans eos probos, cum revera improbi sint.  
 Quintum, quamvis universè loquendo præ-  
 dentiùs sit, inter plures sententias, & ratio-  
 nes invicem sibi oppositas, probabiliori ad-  
 hære; nihilominus circa quædam objecta,  
 qualia sunt modò commemorata, posse con-  
 sultiùs operari, qui rationes minùs validas præ-  
 contrariis probabilioribus sequitur. Cum  
 & D. Thomas in articulo suprà citato definiat:  
 at: *Ubi non apparent manifesta indicia de malis*  
*alicujus* (cujusmodi merè probabiliora non  
 sunt) *debere eum, ut bonum haberi, in melius*  
*interpretando, quod dubium est:* & D. Ignatius  
 sua illa epistola statuatur, ad obedientiæ peti-  
 tionem spectare, ut subditus, ubicunque ve-  
 ritatis evidentia non obstat, (hoc est, etiam  
 ubi contrarium probabilius apparet) volun-  
 tatis vi, & pondere mentem inflectat ad senten-  
 tiam, quod superior suus sentit. Sextum  
 posse ex hæctenus dictis unumquemque ju-  
 &



& prudenter cuilibet se alteri posthabere, quem non scit certò inferiorem se esse. Esto quippe id faciens falsæ opinionis periculum adeat; ea tamen falsitas malum minimi momenti est, juxta illam D. Augustini sententiam: (In Ps. 147.) *Quid perdo, si credo, quia bonus est; aut etiam, prout addi potest, quia melior me est?* Cùm altera ex parte & id credens, grande sibi lucrum per eam charitatis, humilitatisque exercitationem acquirat; & contrarium judicans, teste D. Bernardo, in gravissimi mali discrimen incurrat. Quo super discrimine operæ pretium fuerit ipsa et S. Abbatis verba in medium afferre. (Serm. 37. in Cant.) *Non est ergo, inquit ille, periculum, quantumcunque te humilies, quantumcunque reputes minorem, quàm sis, hoc est, quàm te veritas habeat. Est autem grande malum, horrendumque periculum, si vel modicè plus æquo te extollas, si vel uni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem fortè parem tibi veritas judicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim, si per ostium transeas, cujus superliminare, ut ad intelligentiam loquar, nimium bassum sit, non nocet, quantumcunque te inclinaveris, nocet autem, si vel transversi digiti spatium, plus quàm ostii patitur mensura, te erexeris, ita ut impingas; sic in ani-*



ma non est planè timenda quantalibet humiliatio; horrenda autem vel minima temere præsumpta erectio. Septimum, quemlibet, de cuius improbitate, & nequitia nihil certi constat, æquissimum jus habere exigendi, nè despicatur, tanquam revera improbus, sed ut potius in æstimatione, & honore sit, perinde quasi vitâ, moribûsque integer foret. Octavum, interiorum sui, infra quidquid est reliquorum mortalium, dejectionem non semper, & necessariò fieri *in actu*, ut Philosophi loquuntur, *signato*, expressam nimirum comparisonem inter se, aliòsque omnes instituendo, disertèque affirmando, neminem in terris reperiri, quo ipse deterior non sit: sed posse, & solere communiùs id fieri practice, atque *in actu*, ut dicunt, *exercito*, hoc est contemnendo se ipsum pro intima suæ improbitatis notitia, & abstinendo ab aliorum contemptu, utpote quorum flagitia comperta non habet, imò honorificè de iis sentiendò: juxta universale charitatis præscriptum, ut pro infanti, & probo habeatur, qui quis aperte nequam non est. Nam, qui duos inter homines malè de uno, & bene de altero sentit, quamvis expressè non dicat, ille est hoc deterior, tacitè nihilominus, & æquivalente



ter id dicit. Imò, si attentius rem intueamur, videbimus, superbissimos quosque hominum non nisi posteriori hac, practicâque ratione se plerumque aliis sive absolutè, sive in peculiari aliqua laude anteferre: nimirum exaggeratè de se ipsis, & demissè de illis sentiendo, quos infra se ponunt, quamvis cæteroqui non affirmant: ego his antecello.

8. Ut igitur præmunito sic aditu ad legitimum, & prudentem modum accedam, quo perfectæ humilitatis sectator potest, ac debet quemque sibi alium perferre. Dico primum, in qualibet seu naturæ, seu artis, virtutisve prærogativa, si manifestè alicui non appareat, alio quopiam superiorem se esse; posse eundem justissimè, & omni procul dubio inferiorem sese illo arbitrari. Diciturque hujus ratio est cõmunis mos ille, quo innatus hominibus erga se amor propria unicuique bona veris majora, aliena verò minora, quam re ipsa sunt, repræsentare consuevit: mos rite observatus ab Aristotele, dum scripsit: (L. 7. Eudem, c. 5.) *Domesticum bonum magnum videtur, utpote propinquum; alienum parvum, quia remotum.* Si enim suum illud decus, quamvis ab amore proprio ità amplificatum, in dubio tamen est, num alieno sit majus; li-



quidò hinc apparet, dicendum esse illo minus. Quemadmodum si duo corpora ego intuens, unum perspiciliis ad augendam objecti magnitudinem, alterum perspiciliis ad eandem minuendam factis; ambiguus tamen hæreo, & discernendi impos, utrum magnitudine alteri præstet, possum indè nil dubitans illius præstantiam colligere, quod secundo genere perspiciliorum spectaverim.

9. Dico secundo, posse unumquemque, etiamsi innocentissimè, sapientissimèque vixerit, improbissimo quovis homine deteriorè, magisque aspernandum, hoc est ignavio-rem, Deoque ingratiorem, sinè ulla dubitatione se credere. Considerans quippe hinc præsidiorum, & munerum, quibus cumulatus à DEO est, magnitudinem; indè fructuum, quos illi retribuit, tenuitatem; potest tam vividam, & perspicuam utriusque notionem mente concipere, ut omnino incredibile existimet, ullum in toto orbe terrarum reperiri hominem, qui, si paria à DEO recepisset dona, & subsidia, gravi unquam crimine illum offensurus fuisset, sed potius multò se perfectiùs ei servivisset. Neque profecto mihi apparet, cur quisquam certò id judicare, & statuere apud suum animum ne-

que-



queat, nisi quia supernaturalis egens luminis non satis intelligit, seu quàm locuples frugis proventus ex tot sibi collatis divinæ gratiæ muneribus accedente strenua cultura potuisset existere; seu quàm pauper, ac penè nullus per suam in iis colendis ignaviam extiterit. Seraphico certè Patri S. Francisco pro sua interioris lucis copia ità existimare nullius laboris res fuit. Rogatus quippe à socio, quoniam posset salva veritate pessimum sese omnium pessimorum vocare? Possum, respondit, quia persuasissimum revera habeo, si DEUS perditissimo cuivis homini ea benevivendi præsidia contulisset, quibus me instruere dignatus est, futurum fuisse, ut is longè quàm ego melius benignitati illius responderet. (*Chr. S. Fr. 1. p. L. 1. c. 68.*)

10. Dico tertio, quamvis nemo queat certo, & expresso iudicio affirmare, omnes illos, qui sibi occurrunt, inculpata, & laudabilis vitæ homines esse, posse nihilominus unumquemque amico quodam instinctu propendere ad credendum eos tales, & tales re ipsa in sua mente concipere. Ubi enim contrarium non apparet, nulla veritatis, prudentiæque lex vetat, omniâque charitatis, imò & ipsius æquitatis jura suadent, bene, atque

que



que honorificè de proximis nostris sentire. Quocirca, cùm nihil mihi obstat, quin cum merito, & laude virtutis obvium quemque ex hominibus mihi ignotis revereri, tanquam probum, & fidelem DEI famulum possim, legitimè hinc sequitur, nihil etiam obstare, quin eundem cum merito, & laude virtutis mihi possim præferre, de quo pro intima meorum criminum, & vitiorum conscientia nullam habeo ità honorificè sentiendi causam.

II. Dico quartò, fieri posse, ut quisquam peculiari illustratus DEI lumine sua probra, & flagitia tam distinctè, exactèque perspiciat, ut accedente exigua alienorum notitia, & consideratione indubitanter tunc iudicet, neminem inter homines reperiri, qui tam graviter, quàm ipse peccaverit. Quemadmodum audire est interdum, nonnullos gravibus morbis, atque ærumnis exercitos; qui pro vivido, & præsentì malorum suorum sensu exclament, neminem esse in terris mortalem miseriarum pondere, & dolorum atrocitate sibi adæquandum. Qua ratione fieri potuisse, inquit Cornelius à Lapide, ut D. Paulus primum se, hoc est præcipuum, & maximum inter peccatores vocaverit: *Cris-*

*sim*



*Ille Iesus venit in hunc mundum peccatores sal-  
vos facere, quorum primus ego sum. (1. ad Tim.  
6. 1.)*

12. Dico quintò, posse, imò etiam de-  
bere quemvis hominem, qui ad perfectæ hu-  
militatis laudem tendit, practicè, & in *actu*  
*exercitò*, prout suprà explicavi, cuilibet se  
posthabere, hoc est illo inferiorem, & mino-  
ris pretii putare. Certissimum siquidem est,  
ubi inter duos, alterum multa indigna facino-  
ra perpetrâsse, alterum verò nullâ hujus-  
modi infamiâ notatum esse constat, haud pa-  
rem utrique in hominum æstimatione digni-  
tatis locum deberi, sed si ambo suum tractan-  
di juxta meritum sint, æquum esse, ut prior  
ille suâ infamis nequitiâ in minori, quàm al-  
ter famâ integer pretio, & honore habeatur.  
Quapropter, cùm nostra nobis manifesta sint  
scelera, consentaneum utique rationi est, ut  
nosinet ipsos in sceleratorum loco habeamus,  
& debito tali hominum generi prosequamur  
contemptu: at non itèm, ut erga alios, de  
quibus nihil nobis improbi constat, eodem  
sensu animi simus: sed ut de iis potiùs, tan-  
quam de probis, atque insontibus honorificè  
sentiamus. Quod perinde est, atque con-  
sentaneum rationi esse, ut eos nobis saltèm  
pra-

pra-



practicè anteferamus , potiorésque & ampli-  
ori honore dignos putemus. Atque hic sa-  
nè opportunior , & magis cuique in prom-  
ptu est , posthabendi sese omnibus , modus.  
Nam cætero qui menti vim inferre , ut , quam-  
vis incredibilia in depressionem sui credat,  
vel futilibus de aliorum sanctitate , propriâ  
que malitia commentis ad eandem salubriter  
decipiendam studiosè uti ; præterquam quod  
artes sint à sincero humilitatis ingenio ab-  
horrentes , minùs etiam fini conducunt. Cum,  
qui ad iudicandum se omnibus vilior em eas  
adhibet , nunquam tam seriò , tamque peni-  
tùs talem se esse sibi persuadeat , quam ani-  
mæ prudenter , & solidè humiles : quæ nimi-  
rum per propensionem tum ab hostili pro-  
priæ existimationis odio , tum à fraterno cæ-  
terorum quorumvis mortalium amore sibi  
inditam , non modò sinè ullis fucis , & vio-  
lentis conatibus , sed vel minimè advertentes  
infra unumquemque aliorum se abjiciunt.

13. Addo , instar coronidis , æquum pro-  
fectò esse , ut , qui se ex animo despicit , mi-  
serùmque , & reliquis omnibus inferiorem  
bona fide existimat ; à demissa hac de se opi-  
nionem in externis vitæ actis nè discrepet , sed  
hæc omnia ad illius normam , atque amulsum



conetur exigere: & qualem se intus eredit, talem foris exhibeat; quocirca, si malè se paratum à prudentia, ab ingenio, & à doctrinà arbitratur, consequens est, ut ea aliis ministeria relinquat, quæ affatim prædictarum dotium requirunt, putà gravium negotiorum procuracionem, primarias præfecturas, altiores cathedras, & præcipuæ dignitatis suggestus, plenissimè approbans, quoties eximia id genus munera se neglecto aliis committi viderit: & , si fortè sibi offerantur, constanter, quantum potest, ea renuens: neque id ad significationem modestiæ, aut ex meræ charitatis instinctu, sed quia persuasum revera habet, quemvis alium se ad illa aptiorem, imò se ineptum omnino esse. Ità quoque, si curtam esse iudicii proprii mensuram agnoscit, congruit huic notitiæ, ut illud, quandoque ambigua res est, aliorum iudicio submittat, veluti sagaciorum, & qui perspicacius facienda discernant: neque unquam ei fidat, illudque pro operandi regula sibi accipiat, sed suspectum in omni deliberatione habeat; ad alienum consilium, & regimen, quasi ad certius auspiciam confugiens. Proprium siquidem cuiusque est, cæcum se, vel luscum agnoscentis, alteri, qui oculatior sit, ma-

ma-



maligna sub luce se duendum permittere, & circa objecta illius potius, quàm suis oculis fidem habere. Multò minùs porrò consentaneum eidem notitiæ est, ut esse aliorum dux velit, suisque eos consiliis dirigere, imò ut etiam rogatus facilè id officiũ recipiat; sed potius sequi ex ea debet, ut confugientis ad se humilitatem miretur, respondens ei, juxta sensum, & verba Præcursoris Domini ad eundem, dum baptizari à se posceret: *Ego à te debeo dirigi, & tu venis ad me?* Et si veneno abnuat provinciam, cui parùm idoneus est, si veniat quidem, quam rogatur sententiam, sed timidè, & subdubitans, suamque ad meliora perspicienda inhabilitatem contestatus. Pari ratione, si persuasum habet, exiguæ, infirmæque virtutis se esse, persuasio isthæc requirit, ut inter operandum pro infirmo se gerat, peccatorum occasiones declinans, neque alienis ab exemplis eas adveniendum animam sumens, sed fortioribus confidentiam permittens, sibi verò tanquam debili, & parùm tuto cautionem reservans. *Montes excelsum cervis, petra refugium herinacii.* (Ps. 104.) Quid multa? Quandoquidem omnium se potestremum, & infimum judicat, debet juxta suum hoc judicium ea omnia submissionis, &



reverentiæ signa exhibere, quæ ratio, & communis vitæ usus exigit, ut superioribus inferiores exhibeant: neque id vulgaris officii gratiâ, sed ex naturali connexionem inter externum, atque interiorem hominis habitum, qua fit, ut elatus apparere in aliorum oculis nequeat, qui est verè humilis, & abjectus in propriis.

## CAPUT XXVIII.

Proprium esse hominis, qui perfectè DEUM amat, ut à nemine amari, & in pretio haberi, sed omnibus potiùs contemptui, & fastidio esse velit.

**A**ctenus ità de humilitate egimus, ac si juxta sensum communem existimarem, intrinsecùs ad eam pertinere, non solum ut homo se ipsum despiciat, sed ut ab aliis itè despici velit. Tempus jam est, id ad legitimum examen vocandi. Neque enim desunt rationes, quæ evincere videantur contrarium, nempe humilitatem in eo totam consistere, ut quis pro vili se habeat, secundum pervul-

Z z

ga-